



**Augustinianum Systema De Gratia Ab Iniqua Bajani, Et
Janseniani Erroris Insimulatione Vindicatum, Sive
Refutatio Librorum Quorum Titulus Bajanismus, Et
Jansenismus Redivivi In Scriptis PP. FF. ...**

Bellelli, Fulgenzio

Monachii [u.a.], 1749

§. II. Nullibi idem auctor dona gratiarum inter naturæ proprietates
connumerat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83723](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83723)

articulos Baji ad primam conditionem spectantes, quos inter vigesimus septimus, *Integritas primæ creationis* &c.

§. Proximum quoque caput his verbis Quinto. aggreditur: *Quantum vero Bajus à recto veritatis, & Augustini tramite exorbitavit in extremum errorem declinando, ut assereret condita primitus creatura rationali gratuita dona naturalia fuisse, &c.*

6. In confutatione propositionis 35. Sexio. Quesnellianæ his verbis priorem paragraphum insignis auctor absolvit: *Ultra gratiam creata natura, atque debitas ei- Quesnell. p. dem proprietates, quæ naturalis sunt ordinis, gratia insuper supernaturalis, &*

salutaris, cum sanctificans, tum etiam auxiliatrix, secundum Orthodoxam fidem, à S. Augustino exposita, proscriptisque Bajanis erroribus directe contraria, in primo homine est consistenda.

Differens de natura pura in priori Opere cap. 12. & explicata elevatione Imaginis Dei ad media, quibus finem ultimum potest assequi, ait: *De hac elevatione, quæ scilicet per gratiam filiorum habetur, quæ homines divinæ naturæ consortes, & participes efficit, Summi Pontifices locuti sunt, cum vigesimam primam Baji propositionem damnarunt, quæ talis est: Humanæ naturæ sublimatio, &c.*

7. Septimo. De statu creaturæ, ration. p. 417.

§. II.

Nullibi idem Auctor dona gratiarum inter naturæ proprietates connumerat.

S U M M A R I U M.

1. & seqq. Nullibi iste Author dona gratiarum adscribit proprietatibus naturæ.

Sensus damnatus Baji circa naturæ proprietates primi hominis. **I**ustitia, integritas, immortalitas, aliæque gratiarum dona homini, & Angelis in prima conditione collata, juxta Bajum fuerunt proprietates naturæ, eidemque naturæ ita proportionata, ita debita, ut illorum donorum privatio nihil sit aliud, quam privatio naturalium bonorum, cujusmodi est cæcitas, surditas, ægrotudo.

1. At nostri instituti Theologus ubique Hunc negat affirmat justitiam originalem, dona supernaturalium gratiarum complectentem, non fuisse debitam homini vel Angelis tanquam naturalem proprietatem, ut inquit in dissertat. de statu puræ naturæ cap. 19. 20. 21. 23. necnon de modo reparationis lib. iv. cap. 18. aliisque in locis.

2. In decimo octavo capite, quod nuperime laudavi, *Nec obest*, inquit Theologus præstantissimus, quod ipse gratiam debitam humanæ naturæ asseruerim, cum sæpius & repetito stylo adversus Bajum inculcaverim, debitam fuisse, non tanquam proprietatem, sed tanquam supernaturale altioris ordinis adiutorium ex lege justissimæ Providentiæ, quæ nequit æquo jure obligare impotentem. Patet

itaque quod debitam dixerim, non naturæ secundum se inspecta, sed quatenus sub divinæ Providentiæ dispositionibus constituitur. Quemadmodum lib. 3. cap. 18. edit. Lucernæ pag. 450. cap. 19. pag. 452. 455. 458. 459. cap. 21. pag. 465. 468. 469. 471. 472. 473. 474. & alibi etiam à me scriptum invenietur.

Scripserat initio ejusdem cap. 18. Bajus primum hominem de facto in pura natura fuisse conditum docuit, cui tanquam naturales proprietates fidem, spem, charitatemque asseruit debitas; naturalem quippe illi esse voluit sanctitatem, naturalem adoptionem, naturalem exaltationem in divinæ naturæ consortium, naturalia denique merita, quibus naturalis etiam ineffet vis æternam adipiscendi mercedem. Idque non ex dubiis conjecturis, sed ex ejusdem proscriptis thesibus clarum est & perspicuum, quemadmodum legenti primam, 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 21. 23. 24. & 26. ex ejusdem damnatis propositionibus aperte constabit. Vide etiam infra Parte 2. ad Propos. 34. Quesnellii.

Hujus Quesnellianæ propositionis confutationem ad hunc modum egregius vir exorditur: *Rejicitur hæc propositio, quæ*

3. Tertiò. De modo Reparationis. p. 212.

4. Quarto.

qua obvio, & naturali sensu Bajano suffragatur errori, aut de ipso saltem suspecta est. Gratiam enim Adami illis verbis exprimit, quibus significari à philosophis solent congenita naturæ proprietates. De his nimirum vulgato axioma dicunt: Qui dat esse, dat consequentia ad esse. Si igitur Adam gratia nomine sequelæ creationis exponitur, jam tanquam creatæ naturæ proprietas, ex intimis ejusdem nascentis, admittitur.

Idem accusator ait, Fulgentium Bellelli affirmasse, quod originalis justitia supernaturalis fuerit ex ea saltem parte, qua gratiam sanctificantem, & virtutes infusas tanquam præcipua ornamenta includebat, proferens ejus verba, de quibus superiori §. n. 4. Vide Bajani mum Redivivum pag. 189. & 231.

§. III.

P. Bellelli gratiam sanctificantem in statu quoque prioris conditionis ad meritum æternæ vitæ necessariam fuisse docuit.

SUMMARIUM.

I. & seqq. Discordia doctrinæ Bellelli de gratia sanctificante in statu primæ conditionis à Doctrina Baji.

Sensus Baji de gratia primi hominis ad meritum vitæ æternæ.

IN sensu Baji sine ullo respectu ad gratiam adoptionis poterat primus homo vitam æternam promereri, & hac illi naturali lege debita erat, non propter Spiritum Sanctum inhabitantem, sed tantummodo propter ordinationem naturalem initio creationis constitutam.

1. Declaratur circa hoc mens Bellelli primo. De statu creat. rat. pag. 10.

Fulgentius autem Bellelli de statu creaturæ ration. lib. 1. cap. 2. docet, neminem posse merito proprio jus ad gloriam, tanquam coronam & mercedem adipisci, nisi in justitia & sanctitate, qua justus, & sanctus est, usque in finem perseveret: ex qua meriti prænotione infert Angelos, hominemque à Deo conditos fuisse cum gratia sanctificante, que non est naturalis relictio, sed Spiritus Sancti donum.

2. Secundo. Ibid. p. 415.

Distinguit lib. 3. cap. 12. elevationem ad finem ab elevatione ad media, quibus est comparandus: inquit elevationem illam pertinere ad ipsam naturam, que imago Dei est, & in nullo, nisi in Dei possessione potest esse quæta; sed elevationem alteram haberi per gratiam, quoniam beatitudinem tam excellentem promereri, & adipisci mens creata non potest, nisi supernaturali adjutorio, & nisi casto amore adherens Deo, ad filiorum ipsius adoptionem elevetur. Id vero idem est, ac asserere, beatitudinem

esse homini connaturalem quoad appetitum, non autem quoad assecutionem.

Libro 2. cap. 10. differens de meritis creaturæ rationalis ante lapsum, Recte, inquit, merita illa gratia vocantur, que non sine magna gratia fieri potuerunt: quamvis autem ea dona magna fuerint, nunc profecto majora sunt, quia majoribus donis adjucunda remansit infirmitas. Eo loci Bajanas propositiones, quibus merita primi hominis naturalia dicuntur, recenset, atque refellit.

Eadem repetit, & inculcat in confutatione propositionis tricesimæ quartæ Quesnellii, Gratia Adami non producebat nisi merita humana; ubi Bajanis quoque articulis singillatim dispunctis concludit: Ex his autem Baji damnatis erroribus liquidissimum est, in Angelis eum, primoque homine, Adamo scilicet, merita tantum naturalia, seu nonnisi naturalia asseruisse, quorum scilicet principium fuerit, non vera gratia, non superna, sed naturæ sanæ, & integræ debita, ac proinde naturalis ordinis, ut sunt creata naturæ congenitæ proprietates. Optimo igitur jure Quesnelliana propositio damnata fuit, Gratia Adami non producebat nisi merita humana. In illa nimirum Bajanus error propriis coloribus pictus conspicitur.

§. IV.